

positio debet esse repugnans in veritate. Tunc etiam, quia licet una sit affirmatiua, & alia negatiua; non sunt eiusdem de eodem: nam respectu diuersorum verificantur: ut hæc est vera; aliquis homo est albus; respectu Petri albi; & hæc: aliquis homo non est albus: est vera, respectu Pauli nigri.

Propositiones indiffinitæ

Propositiones indiffinitæ eiusdem de eodem; quarum una est affirmatiua, alia negatiua, in materia contingenti: ut homo est albus: homo non est albus: æquivalent particularibus; ut in fine cap. præcedentis diximus; & sic sunt subalternæ: in materia vero naturali, aut impossibili, æquivalent vniuersalibus; & sic erunt contrariæ.

Propositiones subalternæ

Propositiones sub alternæ dicuntur, quarum una sub alia continetur; ut particularis sub vniuersali: affirmatiua sub affirmatiua; & negatiua sub negatiua: atque ad eodẽ modo opponuntur: ut ista sunt subalternæ: omnis homo est albus: aliquis homo est albus: nullus homo est albus: aliquis homo non est albus; in quibus propositio vniuersalis dicitur subalternans: id est; subie aliam continens: particularis autem subalternata: hoc est sub alia contenta, & in materia naturali, vel impossibili, aut sunt simul vera, aut simul falsa: in materia autem contingenti vniuersalis est falsa, particularis vera.

Leges subalternarum

Lex prima subalternarum est: quod ex veritate vniuersalis subalternantis, sequitur veritas particularis subalternatæ: non tamen ex falsitate illius sequitur falsitas istius: quia potest esse subalternans falsus, ut hæc: omnis homo est albus; & subalternata vera: ut aliquis homo est albus.

Secunda regula: ex falsitate subalternatæ sequitur falsitas subalternantis: non tamen ex veritate subalternatæ sequitur veritas subalternantis: ut; quia est vera; aliquis homo est albus; non sequitur: quod omnis homo sit albus.

Oppositio singularis

Propositiones singulares; cum non habeant quantitatem: solum possunt in qualitate opponi: hoc est; in affirmatione, & negatione; veritate, & falsitate: & sic inter illas solum datur oppositio contradictoria, quæ in quavis propositione reperitur: cum nulla sit, quæ suam contradictionem non habeat, per additionem, aut detractionem negationis. Vnde vni propositioni vna tantum contradictoria assignari potest: & idem dicendum de propositione, in qua est suppositio materialis; confusa; & copulata; & simplex: ut omnia elementa sunt quatuor: omnia elementa non sunt quatuor: homo est species, homo non est species.

CAPVT V.

De conuersione, & æquipollentia earundem.

Conuersio quid.

DE conuersione propositionum agit Doctor in primo Priorum questionum; & ut ab eo ibidem colligitur; sic diffinitur potest: conuersio est necessa-

ria consequentia duarum propositionum per transmutationem extremorum: prædicati, scilicet, in subiectum; & subiecti in prædicatum. Quod est intelligendum, seruat eodem sensu, suppositione, ampliatione, &c. ut hæc propositio: homo est rationalis: in hanc conuertitur: rationalis est homo.

Prima propositio, quæ conuertitur in aliam, dicitur conuersa. Secunda vero, in quam conuertitur, dicitur conuertens: & conuersa ergo ad conuertentem est necessaria consequentia: ut homo est rationalis: ergo rationalis est homo: & talis consequentia formalis appellatur conuersio; desideratque ad propositionem veritatem indagandam, & ad syllogismorum reductionem. Vbi obserua: quod totum, quod est a parte vnius extremi constituitur in conuersione a parte alterius: ut hic liber est Aristotelis; aliquod ens Aristotelis est hic liber.

Conuersio hæc est duplex: vna est simplex: alia per accidens: conuersio simplex est permutatio extremorum, seruata eadem quantitate in conuersa, & in conuertente; & conuertuntur vniuersalis negatiua: ut nullus homo est lapis: ergo nullus lapis est homo: & e contra particularis affirmatiua: ut aliquis homo est albus: ergo aliquod album est homo.

Conuersio per accidens, seu secundam partem, est permutatio extremorum, non seruata eadem quantitate in conuersa, & conuertente: quia vniuersalitas in particularitatem mutatur: sic conuertitur vniuersalis affirmatiua: ut omnis homo est animal: ergo aliquod animal est homo: quod debet intelligi; ut bene adnotat Doctor in primo Priorum quæst. 14. in consequentia formali: quia gratia materiæ potest conuerti simpliciter quantum, scilicet, subiectum, & prædicatum sunt termini conuertibiles: & ideo sequitur: omnis homo est risibile: igitur omne risibile est homo.

Particularis negatiua: ut aliquis homo non est doctus: non conuertitur: supple in consequentia formali: ut optime docet Doctor, ut supra quæst. 15. §. quantum ad secundum. Vnde conuersio, quæ pro illa à nonnullis assignatur per contrapositionem; nempe, quando seruata eadem quantitate, termini sunt redduntur infiniti: ut aliquis homo non est doctus: ergo aliquod non album, non est non doctum; non est propria conuersio: ut ait Doctor: quia non mutantur termini in antecedente, & consequente: cum termini finiti mutantur in infinitos. Vnde quædam carmina, pro conuersionibus facilius memoriæ mandandis, hic non apponimus: quia conuersionem per contrapositionem, à ratione veræ conuersionis reijcimus.

Comparantur etiam propositiones quoad æquipollentiam: est autem æquipollentia idem, ac æquivalentia inter duas propositiones vtriusque extremo, & eodem ordine participantis in quantitate, & qualitate ex varijs signis proueniens. Vnde inferunt se inuicem in consequentia formali: & hæc æquipollentia requiritur; ut facilius, & clarius veritas, seu falsitas propositionum colligatur: reperiturque inter propositiones verè oppositas, & subalternas.

Propositio conuersa. Propositio conuertens

Conuersio simplex.

Conuersio per accidens

Conuersio per contrapositionem non est propria conuersio.

Æquipollentia.

Nota.

Pro quo notandum: negationem talis esse naturæ malignantis: quod quidquid post se inuenit, destruit; & eius oppositum ponit: vnde cadens supra signum vniuersale destruit illius vniuersalitem, & reddit illud particulare; & cadens supra particulare facit illud vniuersale; cadens supra affirmatiuum tollit eius qualitatem, & reddit negatiuum; & cadens supra negationem ponit affirmationem: vnde ista signa æquivalent: non omnis, & aliquis non: non aliquis non, & omnis: omnis non, & nullus: nullus non, & omnis: nonnullus, & aliquis non: non aliquis, & nullus: non vterque, & alter non: non alter non, & vterque: vterque non, & neuter: neuter non, & vterque: non neuter, & alter: non alter, & neuter.

1. Regula.

Ex quibus prouenit: quod per variam positionem negationis quantitas propositionis mutatur; & fit alteri similis, cui antea erat opposita. Vnde dux contradictoriæ: ut omnis homo est albus; aliquis homo non est albus; sunt æquipollentes, seu idem significantes, & consequentes: si alteri illarum, cui volueris præponas negationem; si vniuersali; non omnis homo est albus: idem significabit; ac aliquis homo non est albus: si particulari, non aliquis homo non est albus: idem, quod vniuersalis: omnis homo est albus. Ratio est: quia negatio præposita signo in principio propositionis tollit quidquid post se inuenit, quantitatem, & qualitatem propositionis: & sic de vniuersali, & affirmatiua, reddit eam particularem, & negatiuam: & de particulari negatiua reddit illam vniuersalem affirmatiuam: atque aded duas contradictorias idem significantes.

2. Regula.

Secunda regula: dux contrariæ; ut omnis homo est iustus; nullus homo est iustus: sunt æquivalentes in significando; si subiecto vnius, cui volueris, postponas negationem: ut si dicas; omnis homo non est iustus; æquipollet huic: nullus homo est iustus: & idem de ista. Ratio est: quia contrariæ conueniunt in quantitate subiecti; & differunt in qualitate: igitur negatio postposita subiecto non mutat quantitatem: cum non agat ante se: mutat tamen qualitatem: quia cadit supra copulam: & sic de affirmatiua reddit negatiuam: & e contra; & ita sunt æquipollentes in quantitate, & qualitate: atque aded in significatione.

3. Regula.

Tertia regula: dux subalternæ; ut, omnis homo est albus: aliquis homo est albus; æquipollet, si subiecto vnius præponatur, & postponatur negatio; ut si dicas: non omnis homo non est albus; æquiualeat huic: aliquis homo est albus, & ista: non aliquis homo non est albus; æquipollet huic; omnis homo est albus. Ratio est: quia subalternæ differunt in quantitate, & conueniunt in qualitate: & supposita duplici negatione, quæ anteponitur, negat aliam; & sic remanet eadem qualitas; & mutat quantitatem: & ita remanent eiusdem quantitatis, & qualitatis.

Pro subcontrarijs nulla regula assignatur.

tursi enim in affirmatiua præponatur negatio subiecto; aut negatiua tollatur: sunt omnino eadem. Itaque in summa: ad æquipollentiam contradictoriarum negatio est præponenda; in contrarijs postponenda; in subalternis præponenda, & postponenda, quæ omnia in isto carmine significantur.

Præ, contradict: Post, contra: Præ, postque subalter. Equipollentia quoque signorum, quam in notabili diximus, his carminibus continetur. Non omnis, quidam: non omnis non, quasi nullus. Nonnullus, quidam; sed nullus non, valet omnis. Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.

CAPVT VI. De propositione hypothetica.

IN secunda diuisione propositionis; ut ex cap. 3. constat: diuisa fuit propositio in simplicem, & compositam, seu hypotheticam. & hanc hucusque; ne sermonem de propositione simplici interrumperemus; reseruauimus. Propositio igitur hypothetica, quæ composita, seu coniunctione vna appellari solet, est, quæ pluribus enunciationibus constat coniunctione aliqua vnitæ. Vnde illius partes proximæ, & immediatæ sunt enunciationes, quarum vna non prædicatur de alia (in quo à simplicibus differt) ut cum dicimus: sol lucet; & dies est: non enunciatur diem esse de sole: & ideo eius partes non sunt subiectum, & prædicatum; atque aded nec termini: ut in primo lib. cap. 2. diximus: forma huius propositionis est illa coniunctio connectens duas illas propositiones, ex qua sola desumenda est ratio: num affirmatiua sit, aut negatiua: nam si talis fuerit affirmatiua; tota enunciatio erit affirmatiua: etiã si alie enunciationes, ex quibus, ut partibus, componitur, negatiuæ sint, si vero affecta fuerit negatione: etiã si alie fuerint; affirmatiuæ: negatiua erit. Vnde hæc est negatiua: Petrus currit non & mouetur; & ista est affirmatiua: Petrus non currit, & loquitur.

Propositio Hypothetica diuiditur in copulatiuam; disiuctiuam; & illatiuam: copulatiua est; cuius copula connectens propositiones est coniunctio, & aut alia similis: ut Petrus currit, & mouetur.

Disiuctiua est, cuius copula est disiuctio, vel; ut Petrus currit, vel loquitur.

Illatiua est, cuius copula est coniunctio illatiua: & est triplex, vna causalis, cuius copula causalis est; ut quia sol lucet; dies est. Alia rationalis, cuius copula est hæc nota illationis: ergo; vel igitur; ut Petrus disputat; ergo loquitur. Alia conditionalis, cuius copula est hæc particula, si; ut si sol lucet; dies est.

Copulatiua.

Disiuctiua.

Illatiua.

Veritas copulatiua.

aliqua fuerit falsa: tota enunciatio falsa redditur: vt patet in hac: Petrus loquitur; & Paulus volat: sicut & copulatiua; cuius vna pars est necessaria; & alia contingens: tota redditur contingens.

Veritas disiunctiua.

Disiunctiua (si formaliter, & in rigore sumatur disiunctio) vt vera sit tantum requirit; vt vna pars sit vera. Vnde si vtraque fuerit vera: tota erit falsa; & patet: quia propositio coniunctiua tunc est falsa: quando ea, quae sunt disiuncta; coniungit; vt ista: Petrus disputat, & Paulus volat: ergo disiunctiua erit falsa; quando disiungit, quae non sunt disiuncta: sed in hac: Petrus ambulat, vel mouetur: ea, quae a parte rei sunt coniuncta, disiunguntur: ergo si vtraque pars fuerit vera: redditur falsa; & ita ad eius veritatem sufficit: vt vna pars sit tantum vera; vt Petrus ambulat, vel quiescit. Si autem disiunctio sumatur large; prout huic adverbio, saltem, aequiualeat: ita vt sensus sit; saltem vnum de duobus: tunc veritas vtriusque extremi non reddit totam falsam.

Veritas conditionalis.

Hypothetica conditionalis est vera: quando & si partes sint falsa; vna ex alia bene sequitur: vt si homo volat, habet alas.

Veritas rationalis.

Rationalis est vera: quando antecedens est verum: & consequentia bona: vt homo est animal rationale: ergo est risibilis.

Veritas causalis.

Tandem: hypothetica causalis est vera: quando antecedens est verum: & simul est causa consequentiae; vt quia sol lucet, dies est. De quibus amplius lib. 3. cap. 17.

Oppositio in hypotheticis.

Cum istae propositiones non habeant quantitatem; vt docet Doctor in primo Priorum q. 4. sicut nec habent subiectum, ex quo sumitur quantitas propositionis: tantum habent oppositionem contradictoriam. Vnde in eis non inuenitur oppositio contraria, aut subcontraria; & si aliquando datur tam quantitas, quam oppositio, erit ratione categoricarum, ex quibus coalescunt; vt docet Doctor ibidem.

CAPVT VII.

De propositione modali.

In secundo capite promissimus, in hoc, de hac propositione modali disputatur; de qua Summulista ita diffuse, & confuse agunt: vt Tyroneus terrorem; potius quam utilitatem, incutiant: ob quam causam illud commune proloquium in scholis dimanauit: de modalibus non gustauit asinus; sed nos breuitate, & claritate possibili; ea, quae de modalibus aguntur; in hoc capite, iuxta doctrinam de eis traditam a Doctore nostro in lib. 1. Priorum quae est. 25. & adrademus.

Propositio igitur modalis est, quae non solum indicat praedicatum conuenire subiecto; sed & modum exprimit, quo conueniat: vt ista; homo necessarius est animal; modalis est: quia constitit expresse modo determinate propositionem; quoad habitudinem; & compositionem, quam praedicatum habet cum subiecto; & hoc est, quod ab alijs dicitur: propositio modalis est, cuius co-

pula est modificata aliquo modo determinate compositionem praedicati cum subiecto: sicut enim propositio simplex de inesse est illa, cuius copula non est tali modo modificata; dicitur simplicem inhaerentiam praedicati cum subiecto: vt ista: homo est albus: in qua, nec copula modificatur; & praedicatum simpliciter inest subiecto: sic propositio modalis est, cuius copula modificatur, & praedicatum modaliter conuenire subiecto denotatur: vt cum dico: hominem possibile est esse album: & copula modificatur: & album possibile inesse homini denotatur.

1. Nota.

Sed pro intelligentia dictorum notandum primo, quod modus, in praesenti, est determinatio compositionis totius propositionis; alij namque modi in alijs propositionibus solum modificatur, aut subiectum, aut copulam, aut praedicatum: vt cum dicimus: Petrus velociter currit: ly, velociter solum cadit supra illud verbum, currit: modus autem, de quo nobis est sermo, modificat totam propositionem, & compositionem praedicati cum subiecto: vt cum dicimus: Petrus necessarius disputat: ille modus, necessarius, cadit supra totam propositionem; significatq; totum hoc; scilicet, Petrum disputare esse necessarium. Huiusmodi modi sunt quatuor: possibile; impossibile; contingens; & necessarius, seu necessarium: quamuis possibile, & contingens, in praesenti, pro eodem capiuntur: possuntq; dupliciter sumi: vno modo secunde intentione; prout dicunt possibilitatem, contingentiam, impossibilitatem, vel necessitatem propositionis: & sic accipiuntur in modalibus compositis vt dicendo: Sol tunc currere est possibile; vbi denotatur: quod ista est possibilis: Sortes currere. Alio modo capiuntur prime intentione: & hoc adhuc dupliciter: vno modo, categorice; prout dicunt possibilitatem, contingentiam, impossibilitatem; & necessitatem entis: & isto modo non faciunt propositionem modalem: sed sunt differentiae entis. Alio modo capiuntur syncategorematicae: vt sunt propria signa solum denotantia possibilitatem, contingentiam, impossibilitatem, aut necessitatem vnionis praedicati cum subiecto: & isto modo faciunt propositionem modalem.

2. Nota.

Secundo est aduertendum: quod praedicti modi in vltimo sensu capti, in quo propositionem modalem constituunt: quia si sibi addatur negatio: in talibus propositionibus sunt oppositiones, & equipollentiae: adhuc dupliciter sumuntur: nominaliter, & adverbialiter: nominaliter: vt possibile, contingens, impossibile, & necessarium: adverbialiter: vt possibiliter, impossibiliter, contingenter, & necessario: primo modo accepta, & constituunt propositionem modalem in sensu composito; & in sensu diuiso: diuersimode tamen: nam quando modalem compositam constituunt, induunt rationem subiecti, aut praedicati: vt possibile est Petrum disputare: Petrum currere est possibile: at vero, quando modalem diuisam constituunt; tunc ponuntur post subiectum, & immediate copulam afficiunt: vt Petrum possibile est currere: ita vt ly, possibile sit mera copulae determinatio; & nullo modo pars extremorum. Secundo autem modo sumpta: id est adverbialiter: modalem diuisam componit:

vt Petrus possibiliter disputat: Deus necessarius creat: Ioannes contingenter est albus. Vnde patet discrimen inter modalem diuisam constitutam a modo nominaliter sumpto, & inter eam, quae a modo adverbialiter accepto componitur: nam prima semper constat infinitiuo, tanquam parte copulae; secunda vero caret infinitiuo.

Tertio not.

Tertio est aduertendum: quod propositio modalis est duplex: alia secundum sensum compositum: alia secundum sensum diuisum: modalis secundum sensum compositum est, in qua modus est subiectum, vel praedicatum, & sumitur nominaliter: vt ista: possibile est videntem esse caecum: & dicitur composita: quia facit hunc sensum: possibile est: quod idem sit simul videns, & caecum: ideo enim dicitur composita: quia denotat subiectum, & praedicatum eidem rei, & in eodem tempore conuenire simul: & sic passim contingit esse falsa. Modalis diuisa est, in qua modus est mera copulae modificatio, denotatq; subiectum & praedicatum non simul, & in eodem tempore: sed in diuerso: eidem rei conuenire: ideo enim dicitur diuisa: quia tempora diuidit: vt in exemplo posito: videntem possibile est esse caecum: sensus est: possibile est: vt qui modo est videns: postea sit caecus: & haec diuisio modalis in compositam, & diuisam est aequiuocata in aequiuocata: nam modalis composita est simpliciter de inesse.

Differentia intermodalem compositam & diuisam.

Vnde multiplex inter vtramque propositionem (det differentia, assignari: prima est: quod modalis in sensu diuiso habet copulam affectam in medietate modo modificatam: modalis autem in sensu composito non habet copulam modificatam: sed modus tenet se ex parte subiecti, aut praedicati.

Corol.

Secunda differentia est: quia modalis in sensu composito est vera propositio de inesse: modalis autem in sensu diuiso est vera, & proprie modalis: & ratio est: quia propositio semper a copula est denominata: & cum in modalibus compositis copula non modificetur: modificatur autem in diuisis: sequitur: quod ista non modalis: sed de in esse, a verbo, est, dicitur: ista autem proprie modalis appellatur.

Ex quibus constat: definitionem modalis a nobis traditam solum de modalibus diuisis esse intelligendam: non vero de modalibus compositis: cum sit proprie propositio de inesse. Quae re deceptus fuit Petrus Hispanus in modalibus definienda: quid quid eius expositores dicant: vt optime notauit Tatarctus tract. 1. de modalibus, fol. 12. & haec de essentia modalis dicta sufficiant.

CAPVT VIII.

De alijs ad propositionem modalem spectantibus.

Ad completam modalium tractationem restat nobis agendum de earum quantitate, qualitate, oppositione, equipollentia, & conuersione: pro quibus omnibus est notandum: in quacumque modalibus propositione, siue composita, siue diuisa, duo reperiri: scilicet modum, & dictum: v. g. in hac propositione

Nota.

diuisa: Petrum possibile est esse album: ly, possibile dicitur modus: residuum autem, quod est subiectum, & praedicatum, appellatur dictum. Vnde in propositionibus modalibus compositis; & indiuisis de modis nominaliter sumptis; communiter duplex copula assignari solet: altera de dicto; & altera de modo: illa minus principalis: & ista principalior: vt in ista: hominem non esse equum est necesse: infinitiuum, esse, dicitur copula minus principalis, & de dicto; & ly, est, copula de modo, & magis principalis: & iuxta hanc duplicem copulam, quantitatem, qualitatem, oppositionem, & conuersionem modalium assignantur multi. Sed nos doctrinae in capite praecedente traditae innitentes sic quantitatem istarum propositionum assignamus ex parte modi: alia est modalis vniuersalis: alia particularis: vniuersalis adhuc duplex: alia affirmatiua, in qua ponitur modus, necesse, qui aequiualeat signo, omnis: alia negatiua, in qua ponitur modus, impossibile, qui aequiualeat signo vniuersali, nullus. Particularis est etiam duplex: alia affirmatiua, in qua ponuntur, possibile, aut contingens, qui aequiualent signis particularibus: vt aliquis: alia negatiua, in qua ponitur hic modus, possibile non, qui aequiualeat huic, aliquis non. Vnde diuisionem quantitatis penes dictum omissam facimus, quae quadruplex est: sicut supra de enunciatione absoluta diximus: ac per consequens omissa etiam manet diuisio quantitatis modalium ex parte dicti, & modi simul.

Quantitas modalium.

Qualitas modalium.

Qualitas similiter istarum propositionum: id est affirmatio, & negatio: a copula principali affecta modo ipsam determinante, desumitur. Vnde haec absolute censenda est affirmatiua: hominem necesse est non esse equum: & haec simpliciter est negatiua: hominem non necesse est esse animal: & ratio est: quia copula manet affirmata, & negata: quod ad qualitatem harum propositionum requiritur.

Materia modalium.

Materia modalium sumitur similiter ex parte modi: ex habitudine scilicet modi ad dictum: & sic tantum est duplex materia illius: naturalis, videlicet, & impossibilis: nam contingens, ex parte modi, sub naturali continetur: quia talis modus necessarius: & inseparabilem habitudinem dicit ad suum dictum: atque semper, & necessarius, de illo praedicatur: cum enim dictum modi contingens non possit esse, nisi propositio, in qua praedicatum accidentarie, & contingenter conuenit subiecto: nullus alius modus potest illi conuenire; nisi contingens: alioquin transire posset de contingenti in necessariam, aut impossibilem: quod implicat.

Veritas, & falsitas modalium.

Veritas, & falsitas modalium sumitur: sicut in enunciatione absoluta: Vnde illa modalis est vera, quae affirmat de dicto modum, qui reuera conuenit illi: & illa est falsa, quae affirmat de dicto modum, qui in re illi non conuenit; aut negat de dicto modum, qui in re illi conuenit. Vnde haec est vera: hominem necessarium esse animal: & haec: hominem non necesse est esse equum: ista autem est falsa: hominem necesse est esse equum: hominem non necesse est esse animal: & sic de alijs.

De oppositione modalium.

Similiter oppositio in modalibus: vt oppositio modalium est; penes modos est desumenda:

nam de oppositione secundum dictum, idem est iudicium ferendum; ac de oppositione propositionum simplicium, seu de inesse. Modi igitur modales constituentes sic se habet: quod modus, necessarium, est vniuersalis affirmatiuus; impossibile, vniuersalis negatiuus; possibile, seu contingens, particularis affirmatiuus; possibile non, particularis negatiuus. Vnde fit: quod propositio de necessario, est vniuersalis affirmatiua: propositio de impossibili, vniuersalis negatiua; propositio de possibili, particularis affirmatiua; & propositio de possibili non, particularis negatiua.

Ex quibus oppositio inter modales apparet ista enim sunt contradictoria: hominem necesse est esse animal: hominem possibile non est esse animal. Ista autem sunt contraria: hominem necesse est esse animal: hominem impossibile est esse animal. Ista vero sunt subcontraria: hominem possibile est esse album: hominem possibile non est esse album. Ista tandem sunt subalternae: hominem necesse est esse animal: hominem possibile est esse animal: & ista: hominem impossibile est esse animal: hominem possibile non est esse animal.

De equipollentia modalium.

Modales hinc equipollentes, praeposita aut postposita negatione: negatio enim praeposita modo vniuersali destruit illius vniuersalitate, & reddit illi particulare: praeposita vero modo negatio reddit illi affirmatiuum: & si affirmatiuus, e contra. Vnde aequivalent, non necesse, & possibile non: non possibile non, & necesse: necesse non, & impossibile: impossibile non, & necesse: non impossibile, & possibile: non possibile, & impossibile.

De conuersione modalium.

De conuersione modalium, tam compositarum, quam diuisarum, nonnulla, & satis difficilia, essent nobis dicenda: de quibus ad longum aegimus in primo Priorum cum Doctore, vt supra. Pro nunc autem dicimus: quod modales diuisae ex aduerbio conuertuntur eodem modo, quo propositiones absolutae: vt Petrus possibiliter disputat: conuertitur simpliciter sic disputans possibiliter est Petrus: modus enim semper inuariatus manet. Aduerte tamen: quod in conuersione propositionis de necessario, quae fit per accidens: in conuertente ponatur aduerbium, possibiliter: aliter conuertens erit falsum: vt si dicas: creans necessario est Deus: ergo Deo necessario est creans: quae consequentia est falsa: erit tamen vera: si dicatur: ergo creans possibiliter est Deus. Modales diuisae ex nomine, & modales compositae: pro nunc: sicut & suae de inesse conuertuntur.

C A P V T. IX.

De propositione exponibili.

De propositione exponibili aequaliter agit Doctor in primo Priorum quaest. 3. quae exponibilis dicitur, eo quod, propter sui obscuritatem expositione indigeat: ob id quae aferit Doctor: quod, licet non sit hypothetica per coniunctionem expressam: aequiualeat tamen hypothetica, per quam explicatur: est igitur propositio exponibilis oratio categorica difficilis, & obscura ratione alicuius dictionis in

Exponibilis quid.

digentis aliqua exponente: vt ista: tantum homo est animal: quae ratione illius dictionis, tantum, dicitur obscura, & indiget; vt exponatur, pluribus propositionibus: vt homo est animal: & nihil aliud ab homine est animal.

Prima species propositionum exponibilium dicitur exclusiua, quae constat aliqua particula aliqua a significato propositionis excludente: cuiusmodi sunt, solum, tantum, dumtaxat. Dictione exclusiua posita in propositione appellatur signum: propositio, cui coniungitur, dicitur praeciua, cuius verbum copula dicitur: semperque exponitur per propositionem hypotheticam copulatiuam (quid quid alij dicant) ex duabus simplicibus compositam, quae exponentes appellantur, quarum prior semper est ipsa praeciua, ablato signo: alia dicitur secunda exponens.

Exclusiua.

Signum, aut afficit subiectum: cum in propositione ponitur ante illud, & tunc significat exclusionem subiectorum a praedicatorum: vt tantum homo est animal: denotat alia subiecta, praeter hominem, excludi a participatione animalis: & talis exclusiua appellatur exclusi subiecti: & potest esse quadruplex: aut affirmatiua de signo, & de copula: vt tantum homo est risibilis: quae exponitur per copulatiuam ex sua praeciua, & vniuersali negatiua, sic: homo est risibilis: & nihil aliud ab homine est risibile. Vel potest esse negatiua de signo solum: vt non tantum homo est animal: & exponitur per copulatiuam ex praeciua, & particulari affirmatiua: vt homo est animal: & aliquid aliud ab homine est animal. Vel potest esse negatiua solum de copula: vt tantum substantia non est in subiecto: quae exponitur per praeciua, & vniuersalem affirmatiuam: vt substantia non est in subiecto: & omne aliud a substantia est in subiecto. Vel tandem potest esse negatiua de viroque, signo scilicet, & verbo: vt non tantum homo non est animal: & tunc exponitur per suam praeciua, & particularem negatiuam: vt homo non est animal: & aliquid aliud ab homine non est animal. Et hic modus exponendi est clarior: licet alij aliter exponant.

Exclusiua exclusi subiecti.

Si vero signum afficiat praedictum: vt homo est tantum animal rationale: tunc significat exclusionem fieri a subiecto: ita vt alia praedicatorum: praeter id, quod afficit, excludatur a subiecto: ob id namque exclusiua exclusi praedicatorum appellatur: huius generis duae tantum sunt in vso: affirmatiua de signo, & copula: vt homo est tantum animal rationale: quae exponitur per suam praeciua, & per vnam negatiuam: vt homo est animal rationale: & nihil aliud est, quam animal rationale: alia est negatiua de copula solum: vt homo non est tantum albus: & exponitur per praeciua, & particularem affirmatiuam: vt homo non est albus: & est aliquid aliud praeter quam albus. Nota tamen: quod exponibiles, & exponentes omni genere oppositionis opponuntur.

Exclusiua exclusi praedicatorum.

Nota.

Secunda species exponibilium est propositio exceptiua: & est illa, quae constat aliqua dictione excipiente: qualis est praeter, praeterquam &c. quae particula excipitur aliquid contentum sub subiecto a participatione praedicatorum: vt omne animal, praeter hominem, est irrationale. Vnde in propositione

Exceptiua.

Nota.

tionis exceptiua sunt duo principia: primum est, subiectum propositionis, a quo aliquid excipitur: & hoc debet esse magis commune continens in se rem, quae excipitur: debetque esse distributum signo vniuersali: cum excipere sit partem a toto genere detrahere. Secundum est illud, quod excipitur a participatione praedicatorum propositionis: & hoc debet esse minus commune, & contentum sub eo, a quo excipitur: vt in exemplo adducto: animal, quod est subiectum, a quo homo excipitur a participatione illius praedicatorum irrationale, est magis commune, quam homo exceptus, de quo praedicatorum.

Quo pacto exponatur.

Hae autem exceptiua exponitur per hypotheticam constantem duabus simplicibus exponentibus, quarum prima constat eodem subiecto, & praedicatorum: ita tamen; vt ex parte subiecti ponatur etiam id, quod excipitur, negatum: secunda vero sit propositio, cuius subiectum est id, quod excipitur: praedictum autem id, quod in priori sit affirmatiuum de signo, & copula (eodem enim modo diuiditur; ac exclusiua) per primam vniuersalem affirmatiuam, quae est sua praeciua; & secundam vniuersalem negatiuam: exemplum: omne animal, praeter hominem, est irrationale: esse exponitur: omne animal, quod non est homo (ecce a parte subiecti ponitur homo, qui excipitur, negatus: & sic in quibus alia prima exponente) est irrationale: & nullus homo est irrationale. Si sit affirmatiua de signo, & negatiua de copula: vt omne animal, praeter hominem, non est risibile: exponitur: & conuersio: per negatiuam vniuersalem, & affirmatiuam vniuersalem sic nullum animal, quod non est homo, est risibile: & omnis homo est risibilis. Alij autem, vt Vera Crux; aliter exponunt: vide eos; & pro istarum oppositione, si vis.

Reduplicatiua.

Tertia species est reduplicatiua, quae constat aliqua particula reduplicante, seu geminante terminum, supra quem cadit reduplicatio: cuiusmodi sunt particulae istae in quantum, quantum, quae pro ve, vt sic, secundum quod, & alia similes: quae particulae potest dupliciter sumi: vt docet Doctor in 1. Priorum q. 3. & in 5. Metaph. q. 7. & in 1. sent. d. 1. q. 4. & in 3. d. 1. q. 2. & in 4. d. 4. 3. & in q. 3. quod alibi, aut reduplicatiue, aut specificatiue: reduplicatiue quidodo significat in subiecto causam praedicatorum: vt homo in quantum homo, est risibilis: sensus est: ratio constitutiva hominis est causa risibilitatis: vel significat subiectum esse essentialiter praedictum: vt homo, in quantum homo, est rationalis: & sic eodem modo diuiditur; ac exclusiua.

Nota.

suas; & semper exponitur per hypotheticam causalem. Affirmatiua de signo, & copula: qualis est ista: homo, in quantum homo, est risibilis: exponitur per causalem affirmatiuam omnino: vt; quia homo est rationalis: est risibilis. Negatiua solum de signo: vt homo, non in quantum homo, est grammaticus: exponitur per causalem de solo antecedente negato: vt homo, non quia homo est; grammaticus est. Negatiua de sola copula: vt homo, in quantum rationalis; non est risibilis: exponitur per causalem de consequente solum negato; sic quia homo est rationalis: non est risibilis. Negatiua tandem de viroque: vt homo; non in quantum rationalis; non est risibilis: exponitur per causalem de viroque negato: vt quia homo non est rationalis: non est risibilis.

Specificatiue sumitur: quando particula reduplicans non denotat causam praedicatorum in subiecto: sed tantum determinat; ac specificat rationem aliquam, modum, aut conditionem; secundum quam praedictum conuenit subiecto; vel aliquem sensum, secundum quem propositio, in qua ponitur, est vera: & aliter in alio sensu non esset vera: vt si dicas: homo, in quantum homo; est species: non significat esse hominem causam: cur homo sit species: alias omnes homines essent species: sed tantum dicit, illud praedictum conuenire subiecto, secundum praesam; & communem rationem.

Quarta species exponibilium est propositio constans dictione significante differentiam: vt Petrus differt a Ioanne: vel est alius a Ioanne, quae exponitur per alteram negatiuam: vt Petrus non est Ioannes: et si exponibilis sit negatiua: vt Petrus non differt a Ioanne: exponitur per simplicem affirmatiuam: vt Petrus est idem cum Ioanne. In propositionibus autem, quae constat relatiuum; alius est aduertendum: quod hoc relatiuum in genere neutro de notat diuersitatem essentiae: Vnde in diuinitis concedimus hanc: pater est alius a filio: id est alia persona a filio: hanc vero tanquam falsam negamus: pater est alius a filio: id est: alterius substantiae, vel essentiae. In alijs vero generibus denotat diuersitatem personae.

Exponibilis differentiam significans.

Nota.

Exponibiles constantes ex ly, incipit; & de finit, ad physicum spectant; potius, quam ad logicum: & alia, quas multi hic adducunt, non sunt multi ponderis: & ideo eas omittimus. Et

haec pro secundo Dialecticae libro dicta sunt satis;

LIB.